



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 408. De Gerfridi traditione bonorum in villis Ladricun et Brokhus in pago Nithega.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

Ab anno
965 vsque
983 im-
perante
Ottonē I. iugera.

§. 408.

Tradidit gerfridus in *ladricum* et in *brokbus* (n) I familiam et LX.

§. 409.

hoc §. 407 inchoare novam traditionum nostrarum partem. Cui conatui optime congruunt ea, quæ mox ad §. 409 dicturi sumus. Præfuit autem *Luidolfus* abbas abbatiæ nostræ ab anno 965 vsque ad 983, quo, testante Chronico laudato, mortuus fuit. Inter hæc autem *Otto Magnus*, Romanorum imperator Augustus, obiit, eiusque filius *Otto secundus* anno 973 suscepit regnum. Nonnihil ergo sequentium traditionum incidit in tempus imperii *Otonis I.* Reliqua ad tempus regnantis *Otonis II* quadrant.

De villis
Ladricum
et Brok-
bus in
pago
Nitbega.

(n) Villæ *Ladricum* et *Brokbus* tribuuntur ab Abbate Sarachone pago *Nitbega*. Hæc enim eius in Registro sunt verba: *In Ledriken et Brokbusen in pago Nitbega continentur LX iugera, quæ habet menigo, et persoluet XX modios siliginis, XIII oues, et VI pannos.* Quibus e verbis dilucet, locum *Ladricum* non procul a villa *Brokbus* existisse. Vnus enim colonus tam in *Ladricum*, quam in *Brokbus*, illa LX iugera tenuit. Hanc vero rationem nobis diu fuisse incomptam, fate- mur. Ad fluuium *Netham* in diocesi Corbeiensi reperitur vicus quidam *Brockhusen* seu *Bruchhausen*, inter *Otbergen* atque *Hemfen* vicus situs. Hunc diu habuimus pro villa *Brokbus*. Sed quamvis intercedat inter *Brokbus* et *Brockhusen* maxima similitudo, non vidimus tamen, vbi villam *Ladricum*, non procul a vico illo *Brockhusen* locatam, invenire deberemus. In eam igitur devenimus cogitationem, per villam *Brokbus* designatum fuisse *Borkbusen*, non procul sitam ab oppido *Borgetrick* in episcopatu *Paderbornensi*. In eadem enim regione locus quidam non procul ab inferiori *Natzungen* reperitur, quem incolæ vocant *Leverensieck*. Hunc a villa *Ladricum* nomen accipere potuisse, cogitavimus. Quemadmodum in *Westfalia* pro *Leder* (corio) olim dixere *Ladder*, ita ex *Ladricum* facile formari potuerunt voces *Ledriken*, et ex *Ledriken* *Leveren*. Particulam autem *Sieck* tandem addere accolæ potuerunt a solo rivus scateante. *Sieck* enim denotat solum, in quo multi scaturiunt riuli. Hæc si tibi minus placeant, edoce nos meliora. Gratum certe in nobis semper inuenies animum. Villam itaque nostram *Brokbus* probe discernas velim a vico *Brockhusen*, sito ad *Netham* fluuium. Nec hic confundendus cum comitatu *Brokbusen* in *Westfalia*. Præter opinionem hic fuit aberratum ab eruditissimo *Dño Eratho*, fautore nostro eximio, in *Conspectu Historiæ Brunsvico-Lunenburgicæ*, speciatim in *Bibliotheca Brunsvicensi* fol. 17. num. 439. Agenda enim, quæ l. c. adducuntur, edita sunt non pro comitatu *Bruchulano*, sed vico *Bruchhausen*, qui in principatu Corbeiensi est situs. Id ipsum recte observavit *Dom. Hermanus Casp. König*, iam apud *Rintelenes* pastor vigilantissimus, in *Bibliotheca Agendorum eccles.* p. 102 seqq. Deinde etiam hic vicus distinguendus est a *Brokbusen*, qui visitur non procul ab vrbe *Sufato*; tum a *Brochusen* et *Brochusen* villis, quarum altera erat prædiolum seu *Vorewere* ad curtem *Enehus*, altera ad curtem *Bekina* spectans et in episcopatu *Paderbornensi* sita; denique a *Brokbusen* in comitatu *Lippico*, villa, quæ non procul ab *Harentrup* distat. Cum autem in villa *Borkbusen*, sito ad oppido *Borgetrick* reperiunda, comites *Waldeccenses* bona teneant, quæ ipsi conferunt nobilibus dominis de *Spiegel* in feudum, testibus litteris ad annum 1407, probabilissima ex coniectura *Gerfridus*, qui in eadem villa tradidit bona, idem, vel eius patruus fuit, qui infra §. 426 quædam largitus est, sita ad villam *Tithemudele* in pago *Itergowe*. Ad stirpem *Widekindæam* cum retulimus supra §. 104. not. (††) Extinctis enim *Bunichonis* posteris, bona eorum peruenisse ad *Sualenbergenses* et *Waldeccenses* comites, non ambigent ei, qui in ea historia parte fuerunt versati.

(o) Lu-